



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 58. in procrastinatores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

„cile & in brevi ingentem multitu-
 „dinem animarum velociter cur-
 „rens sermo tabe malitiæ hujus in-
 „ficere possit. unus est, qui loqui-
 „tur & unum tantum verbum pro-
 „fert, & tamen unum illud verbum

„uno in momento multitudinis
 „audientium dum aures infi-
 „cit, animas interfi-
 „cit.

* * *
 * * *
 *



PHILIPPICA LVIII.

In Procrastinatores.

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

Filia mea modo defuncta est, Matth. 9. v. 18.

§. I.
 Vitupe-
 rio potius
 quam lau-
 de dignus
 Archisy-
 nagogus.



Audent alij archisy-
 nagogum Jairum ve-
 lut vivum prudentiæ
 charitatisque specu-
 lum, eò quòd pro de-
 functæ salute filia

authorem vitæ absque mora inter-
 pellârit, nec obrigescere cadaver,
 multòque minùs condi in urnam,
 aut inferri in sepulchrum passus sit,
 sed calentissimis mox votis manum
 illam, quæ percutit & sanat, dedu-
 cit ad inferos, & reducit, ex oscula-
 tus & obtestatus sit: *veni impone ma-
 num.* laudent, inquam, cum Petro
 Chrysolologo eximiam ejusdem pru-
 dentiam, *cùm esset archisynagogus,
 legis notitiam habebat, & verbo ce-
 tera, hominem manu Dei legerat esse
 figuratum. credidit ergo eâdem manu,
 quâ creatam senserat filiam, recreari
 & reduci posse ad vitam.* Ego verò
 nec charitatem illius prædico, nec
 prudentiam suspicio, sed parrici-
 dam non patrem, crudelem non
 misericordem, stolidum non pru-
 dentem, tardum non velocem pro-
 nuntio, quia defunctâ primùm filiâ
 ad medicum & vitæ restauratorem
 accessisse deprehendo. Si enim

Chrysol.
 serm. 33.

pater, si filia amans, si sanitatis e-
 jusdem procurandæ avidus fuit, cur
 principijs morbi non obstitit, cur
 agonis sustinere angustias, amari-
 tudinem mortis degustare & terri-
 bilium omnium terribilissimum
 subire filiam permisit? cur tempori
 ad Christum non accurrit? si pru-
 dens fuit, cur præveniri à morte
 maluit, quàm prævenire ad vitæ
 auspiciem? cur supplicem ut geminæ
 postea sorores Martha & Magdalena
 quantocyùs non concinnavit epi-
 stolam, eidemque citò inscripsit, ut
 citissimè de reddita filia sanitate
 gratulari eidem possemus? jam ve-
 rò nec gratulor, nec plaudo, sed in
 archisynagogo omnes illos parrici-
 das appello, qui non carnem & san-
 guinem suum velut iste filiam, sed
 meliorem sui partem, animam, in-
 quam, mortalissimâ obire morte
 permittunt (*anima enim quæ pecca-
 verit, ipsa morietur* Ezech. 18.) nec
 mortuæ curam gerunt & resuscitari
 per Sacramentalem manûs imposi-
 tionem ad vitæ gratiæ curant, verùm
 poenitentiam suam de die in diem,
 imò mensem, añum, lustra differen-
 do multos sibi vitæ menses, añosq;
 aufe-

auferunt, & præmaturæ sese morti mancipant. omnis enim qui veniam differt, præproperam sibi necem infert, omnis procrastinator sui ipsius est homicida.

§. 2.
Dilata
pœnitentia
abbreviat vitam

Laudi ducebant gentiles, si semetipsos in adversa fortuna exanimarent, ut eâ ratione fortunam vincere & casus declinare graviores viderentur. Tales orci victimæ fuerunt Cato, Scipio, Fabius, Brutus, Hannibal, Cleopatra, Otto, & ante hos Saul, Achitophel, Judas. contra quos non sacri modò sed & profani scripsere: inter quos Seneca ep. 24. *imbecillis signatus est, qui propter dolorem moritur.* nemo vitam sibi ipsi dedit, nemo eandem sibi tollere potest; Dominus noster vitæ Deus est, qui tempora & momenta in sua posuit potestate. Sed ut contra hanc multorum amentiam nihil dicam hodie, major adhuc eorum infania mihi videtur esse, qui cum vitam suam unicè diligant, nihilominus pœnitentiam pro admittis sceleribus agere renuunt, ex cuius neglectu vitam rescindi omninò necesse est. probat hanc sententiam M. Gregorius lib. 2. in 1. Reg. 3. in duobus filiis Heli, quos in flore ætatis & deliciarum mors intempestiva transmisit averno, quia indicatam à puero Samuèle pœnitentiam agere distulerunt. *una ergò die ambo moriuntur, quia in appetitu mūdane felicitatis intereunt*, hoc est, ut ego mihi quidem interpretor, quia delicias humanæ vitæ amaritudini pœnitentiæ posthabuere, & hanc in senium usque distulerunt, florido tempore utendū rati, idcirco morti destinati sunt. Monet proinde Ecclesiasticus c. 5. v. 8. *nè tardes converti ad Dominum, nec differas de die in diem: subito enim veniet ira illius*, quæ animam à corpore, hominem a Deo separabit lacescente divinam justitiam peccatore, ut antè

tempus mortem tanquam peccati stipendium immittat.

Ingeniosa observatio Chrysostomi est, cur ij qui pœnitentiam differunt, citius ijs moriantur, quibus curæ est tempestiva pœnitentiæ Petrum cogita & Magdalenā, quorum is quatuor superat iustra, hæc quinque, at verò Pharao, qui corvinum *cras cras* repetebat: *cras dimittam populum*, spatium pœnitendi non invenit. Dives Evangelicus eadem nocte abripitur: *Sodoma in momento*, ut canit Threnographus, subvertitur, & causam dat: quia impœnitens inveteratur in malis, quod autem vetustum est, morti debetur. è contrà pœnitentia semper innovat ætatem, ut dicere cum Psalte pœnitente possit: *introibo non in sepulchrum, sed ad altare Dei viventis, qui lætificat juventutem meam.* audiamus Chrysostomum exponentem illa Pauli verba Rom. 6. v. 14. in novitate vitæ ambulemus. *cum audis novam vitam, magnam mutationem querere, siquidem pecuniarum amor, absurdarum appetitionum servitus, denique quod vis peccatum senem efficere eum potest, qui illud commiserit. quod autem inveterascit, jam & confitescit, interitui proximum est.* Quam suam sententiam confirmans hom. 7. ex varijs in Matth. aliud affert argumentum, *amat enim mortem, qui vitæ præcepta non servat, & horret vitam, qui peccata morti debita desperat à mente frequentat, ut enim per observantiam legis vita acquiritur, ita per contemptum mors à contumacibus invenitur.* hausit id Chrysostomus à sapientissimo Regum proverb. 5. v. 22. *iniquitates sue capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringetur. ipse morietur, quia non habuit disciplinam.* ecce præproperæ causam mortis, quia disciplinam non tenuit; quod à gentilibus quoque observatum est. Euripides enim

Exod. 8. v. 10.
Luc. 12.
Thren. 4. v. 6.

S. Chrysostom. hom. 10. in ep. Rom.

enim de morte duorum herouū Polinici & Etheoclis loquens: non ex fato, non ex fato hæc cædes, sed ex furij. Non ex voluntate Dei, sed ex furiosa voluntate sua præmaturè multi obeunt, furias ultrò inferno evocant, Parcas ad abrumpendum vitæ filum provocant, in mortis finem ultrò se præcipitant. altissimo sensu locutus est D. Cyrillus Alexandrinus orat. de exitu animæ: qui dicunt: peccemus in juventute, & in senectute ad meliorem sensum redibimus, ij à dæmonibus illuduntur ac iridentur, quoniam qui ultrò peccant, eis ad sanitatem redire non datur, sed in juventute mortis falce demetuntur. consanescunt vicissim, qui temporales respicientes pœnitentiam non procrastinant.

S. 3.
Pœnitentia accelerata vitam prorogat, protelata verò abrumpt, ut patet in Ezechia & Ochozia.

Videamus id apertissimè expressum in duobus Regibus, altero Solymæo, Samaritano altero Ezechia & Ochozia. cecidit Ochozias per cancellos cœnaculi sui & egrotavit, misitque nuntios dicens: ite, consulite Beelzebub 4. Reg. I. v. 2. quid expectamus? Rex ægrotat, & nihil non agit, ut cōsanescat. intereà Deus Eliam subornat, qui hæc regij nuntij in aurem interat Regi referenda: hæc dicit Dominus, quia misisti nuntios ad consulendum Beelzebub deum Accaron, quasi non esset Deus in Israël, à quo posses interrogare sermonem, ideò de lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. ecce Regem infirmum, mortique sine misericordia destinatum. jam oculos in alterum convertamus Regem (de quo lib. 4. Reg. c. 20.) jam jam moriturientem Ezechiam, qui convertit faciem suam ad parietem & oravit Dominum v. 2. & 3. quo putamus fructu? antequam egredereetur Isaias mediam partem atrij, factus est sermo Domini ad eum dicens: revertere, & dic Ezechia duci populi mei: hæc dicit dominus Deus

David patris tui: audi vi orationem tuam, & vidi lachrymas tuas, & cesana vi te, die tertio ascendes templum Domini, & addam diebus tuis quindecim annos. Moritur Ochozias citius quàm alioquin moriturus, quia ad Deum se non convertit, nec pœnitentiam egit; vivit Ezechias, & quidem quindecim annis diutius, quàm alioquin victurus, quia pœnitentiam non differt, sed ad templi parietem cōversus gemit plorat, obsecrat, vitalis nimirum est pœnitentia, impœnitentia verò homicida. affecurat nos Deus Ezech. 33. v. II. nolo mortem impij, sed ut convertatur (citò convertatur exēplo latronis, qui nec salutis tempora sciens distulit, nec religionem antè nec Christum scivit ait Eusebius Emiffenus hom. de lat. & addit: ex hoc in extremo placuit Deo, quia ad consequendam salutem non fuit extrema hora illa, sed prima) ut convertatur inquam, & vivat: Conversioni vita adjungitur, quasi idem sit pœnitentia, quòd vita, unde Tertullianus lib. de pat. c. 4. sic verba Ezechielis ponit: pœnitentiam malo quàm mortem, & infert, ergò pœnitentia vita est, cum praeponitur morti. è contra impœnitentia mors est, juxta illam S. Ambrosij lib. de Elia c. 22. gnomulam: dum differt gratiam, mors appropinquat. ità distulit ex Orientalibus Imperatoribus Anastasius Dicatorus anno Christi 518. & Otto III. anno Christi 1002. teste Baronio ad citatos annos. Anastasio vir horribilis visu apparuit, trucique vocis sono digitum in librum intendens dixit: en ob improbitatem tuam tibi quatuordecim annos vitæ deleo. accidit hoc anno imperij vigesimo octavo, quo & fulmine percussus interit. recurrisset infelix ad pœnitentiam, & servasset quatuordecim annis imperium, fortè & quindecim

cim annos vitæ, ut Ezechiaë quondam Deus illi adjecisset. Otto III. Crescentium innocentem Romanorum Consulem de medio sustulerat, ideoque à S. Romualdo monitus pænitere sponndit quidem, & seculo se renuntiaturum, & monasticam vitam amplexurum, sed distulit de die in diem, priusque Romam sibi expugnandam decrevit, quâ captâ in Crescentij occisi viduatam conjugem vesano exarsit amore, nec diu amavit, sed amore in odium (ut fieri amat in immoderatè amantibus) paulò post converso repudiavit pellicem, hæc verò simulato dolore, sub gratæ mentis memoria chirothecas veneno illitas Imperatori obtulit, itaque procrastinatorem pœnitentiæ sustulit. Exclamet nunc Augustinus serm. 16. de verbis Domini: scio ego & mecum omnis homo, qui paulò antè consideraverit, neminem Deum timentem sub verbis ejus non se corrigere, nisi qui putat, quia plus habet vivere. Ipsa res est, quæ multos occidit, cum dicunt cras cras, & subito ijs, qui de die in pœnitentiæ differunt, ostium clauditur. Remansit foris cum voce corvina, quia non habuit gemitum columbinum. cras cras corvi vox est. Huc usque Doctor Hipponensis.

§. 4.
Procras-
tinatores,
pœniten-
tiæ corvis
similes.

Ex quibus verbis liquet, corvis eos assimilari, qui procrastinant pœnitentiæ, & hoc ipsum secuti infortunij omen est longè pessimum. Corvus germanis à rapiendo dictus videtur, natus siquidem ad furta corvus est. Mathiæ Corvino anulum cum smaragdo sustulit, quem tamen Rex, corvo per idum sclopeti dejecto, recepit. S. Columbano Abbati chirothecam rapuit, alijs alia. procrastinata impœnitudo non modò anulum æternæ desponsationis, sed ipsum etiam digitum paternæ dexteræ, nec tan-

tum chirothecam, sed stolam immortalitatis, imò nec æternam modò vitam, sed temporalem quoque furripit. Duo callet, ut sic dicam, idiomata Corvus, latinum & germanicum, cum illi benè est tempore sereno & innubi videtur latinum cras cras ingeminare. cum cœlum obnubilatur, & in pluviam disponitur resorbet vocem illam, & declinat risum in luctum: Klags Klags ut adnotavit Aldrovandus lib. 12. ornit. ità omninò procrastinatores favente populari aurâ differunt, pœnitentiæ, inadversitate conquiri & conteri volunt, sed ferò. Amani Corvina vox excidit, & pessimi ominis locò fuit, fortunâ enim favente crastinum sibi polliceri ausus, vocem corvinam jactitavit: *apud quam etiam cras pransurus sum* Esth. 5. v. 12. sed die crastino corvis in prædam cessit. Amanes hodie plurimi, qui Reginaë cœlestis gratiam sibi spondent in crastinum, & crastinum non vident. columbas non corvos amat Regina. somniavit corvos pincerna regius, & ab aruspice Josepho audit paratum sibi patibulum, in quod successurus esset die tertio. non somniant corvos, sed vigilanter corvos agunt, & suam sibi crucem præcinunt, quotquot conversionem suam procrastinant. Corvus civitati Ninive interitum præfagit: *corvus in superliminari, quoniam attenuabo robur ejus* Soph. 2. v. 14. quæ sic interpretor. Crocitant corvi, quid inde? *attenuabo robur*. breviabo annos, interitum accelerabo. ubi vox corvi, sibi iminentis interitus præfagium. ite nunc, imò in malam crucem volate mali corvi, procrastinatores pessimi, homicidæ crudelissimis crudeliores. at quid dixi? ite? imò redite, convertimini & vivite! corvos exuite, *cras cras in modò* commutate, ac quoties animam vestram
R r pec-

peccato mortifero defunctam animadvertitis, columbino gemitu repetite: *modò defuncta est, modò peccavi, miserere! modò miserere!*

S. S.
Similes
item sterili vineæ,
ficulneæ.

Ecl. 5. v. 9.

Audi procrastinator, tu, tu sterilis illa vinea es, à qua Dominus tuus expectavit uvas, tu verò post moras & remoras non nisi tulisti labruscas, jam jam hora imminet, quâ jubente Deo vindice diripiaris & desoleris. tu, tu infelix illa ficulnea es, quæ triennio conatum spémq; omnem agricolæ elusisti, jam excindi jubebere, tu illa Silvestris arbor es, cui frustrà eremita Joannes pœnitentiâ inclamavit, & jam securis ad radicem posita est. quoties Ecclesiasticû monitorem habuisti. *non tardes converti ad Dominû, & nê differas de die in diem subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Quis naufragus differt arripere tabulam? non est opus, ut moneatur, monitorem prævenit, pœnitentiâ tu peccator ità invade, ità amplectare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem, inquit Tertullianus & S. Ambrosius: *insiste fortiter, inbere tanquam naufragus tabulæ,* alioquin nec tabulam habiturus, uti in diluvio Noëtico toti pœnè mundo contigit; in diluvio enim aquarum multarum ad eum non approximabunt. quis hereditate pingui donatus non adit illicò eandem, veritus fulmen legis civicæ:

non est censendus heres, qui non festinat capere hereditatem. quis capitalem hostem ferire potest & differt, alioquin cum Phryge illo serò ad cannas sapiente Hannibale exclamaturus: *cum potui, non habui voluntatem; cum volui, non habui facultatem,*

Age ergo, quod agendum est, nè actum agas: citò convertere ad Dominum, & citò securus eris Sap. 6. v. 16. citò dole, nè citò deleat te Deus, procrastinantem enim citò debet te Deut. 7. v. 4. citò divinam implora misericordiam & exclama: *citò anticipent nos misericordia tuæ* ps. 78. v. 8. citò mortem animæ tuæ Medico cœlesti expone, *& sanitas tua citius orietur.* Isa. 58. v. 8. citò cum prodigo ad Patrem benignissimum revertere, ut mandet Angelis suis de te: *citò proferte stolam primam.* Luc. 15. v. 22. ex templo hoc pedem non effer, quin prius revertaris & convertaris corde contrito ad Salvatorem tuum, qui tibi per me inclamat: *revertere de Babylone, de umbra mortis, de portis gehennæ nunc citò,* si quo minus, veniam tibi citò; ecce venio citò etiam venio citò, Amen.

* * *
* * *
* * *

